

Book IV

Student Edition, pages 75–77

- 1 [24] At barbarī, cōnsiliō Rōmānōrum cognitō, praemissō equitātū et esse-
2 dāriīs, quō plērumque genere in proeliīs ūtī cōnsuērunt, reliquīs cōpiīs sub-
3 secūtī nostrōs nāvibus ēgredī prohibēbant. Erat ob hās causās summa diffi-
4 cultās, quod nāvēs propter magnitudinem nisi in altō cōstituī nōn pote-
5 rant, mīlitibus autem, ignōtīs locīs, impedītīs manibus, magnō et gravī onere
6 armōrum oppressīs simul et dē nāvibus dēsiliendum et in flūctibus cōn-
7 sistendum et cum hostibus erat pugnandum;
- 8 cum illī aut ex āridō aut paulum in aquam prōgressī, omnibus membris expe-
9 dītīs, nōtissimīs locis, audācter tēla coicerent et equōs īnsuefactōs incitārent.
- 10 Quibus rēbus nostrī perterritī atque huius omnīnō generis pugnae imperītī, nōn
11 eādem alacritāte ac studiō quō in pedestribus ūtī proeliīs cōnsuerant ūtēbantur.

Student Edition, pages 77–79

1 [25] Quod ubi Caesar animadvertit, nāvēs longās, quārum et speciēs erat
2 barbarīs inūsitiōr et mōtus ad ūsum expeditior, paulum removērī ab one-
3 rariīs nāvibus et rēmīs incitārī et ad latus apertum hostium cōstituī atque
4 inde fundīs, sagittīs, tormentīs hostēs prōpellī ac summovērī iussit; quae rēs
5 magnō ūsuī nostrīs fuit. Nam et nāvium figūrā et remōrum motū et inūsitiō
6 genere tormentōrum permōtī barbārī cōstitērunt ac paulum modo pedem
7 rettulērunt.

8 Atque nostrīs mīlitibus cūctantibus, maximē propter altitudinem maris,
9 quī decimae legiōnis aquilam ferēbat, contestātus deōs, ut ea rēs legiōnī
10 fēliciter ēvenīret, ‘Dēsilīte,’ inquit, ‘mīlītēs, nisi vultis aquilam hostibus prō-
11 dere: ego certē meum reī pūblīcae atque imperātōrī officium praestiterō.’
12 Hoc cum vōce magnā dīxisset, sē ex nāvī prōiēcit atque in hostēs aquilam
13 ferre coepit. Tum nostrī cohortātī inter sē, nē tantum dēdecus admitterētur,
14 ūniversī ex nāvī dēsiluērunt. Hōs item ex †proximīs prīmī† nāvibus cum
15 cōspexissent, subsecūtī hostibus appropinquārunt.

Student Edition, pages 81–83

1 [26] Pugnātum est ab utrīsq̄ue ācrit̄er. Nostrī tamen, quod neque ōrdinēs
2 servāre neque firmiter īnsistere neque signa subsequī poterant atque alius
3 aliā ex nāvī quibuscumque signīs occurrerat sē aggregābat, magnopere per-
4 turbābantur; hostēs vērō, nōtīs omnibus vādīs, ubi ex lītore aliquōs singulā-
5 rēs ex nāvī ēgredientēs cōspexerant, incitātīs equīs impedītōs adoriēban-
6 tur, plūrēs paucōs circumsistēbant; aliī ab latere apertō in ūniversōs tēla
7 coiciēbant.

8 Quod cum animadvertisset Caesar, scaphās longārum nāvium, item specu-
9 lātōria nāvigia mīlitibus complērī iussit, et, quōs labōrantēs cōspexerat,
10 hīs subsidia submittēbat. Nostrī, simul in āridō cōstitērunt, suīs omnibus
11 cōsecūtīs, in hostēs impetum fēcērunt atque eōs in fugam dedērunt; neque
12 longius prōsequī potuērunt, quod equitēs cursum tenēre atque īnsulam ca-
13 pere nōn potuerant. Hoc ūnum ad prīstinam fortūnam Caesarī dēfuit.

1 [27] Hostēs proeliō superātī, simul atque sē ex fugā recēpērunt, statim ad
2 Caesarem lēgātōs dē pāce mīsērunt; obsidēs datūrōs quaeque imperāsset
3 sēsē factūrōs pollicitī sunt. Ūnā cum hīs lēgātīs Commius Atrebās vēnit,
4 quem suprà dēmōnstrāveram ā Caesare in Britanniam praemisum. Hunc
5 illī ē nāvī ēgressum, cum ad eōs ōrātōris modo Caesaris mandāta dēferret,
6 comprehenderant atque in vincula coiēcērant; tum proeliō factō remīsē-
7 runt. In petendā pāce eius reī culpam in multitūdinem coiēcērunt et prop-
8 ter imprudentiam ut ignōscerētur petīvērunt. Caesar questus quod, cum
9 ultrō in continentem lēgātīs missīs pācem ab sē petissent, bellum sine causā
10 intulissent, ignōscere imprudentiae dīxit obsidēsque imperāvit; quōrum illī
11 partem statim dedērunt, partem ex longinquiōribus locīs accersitam paucīs
12 diēbus sēsē datūrōs dīxērunt. Intereā suōs remigrāre in agrōs iussērunt,
13 prīncipēsque undique convenīre et sē cīvitatēsque suās Caesarī commen-
14 dāre coepērunt.

1 [28] Hīs rēbus pāce cōfirmātā, post diem quārtum quam est in Britanni-
2 am ventum nāvēs XVIII, dē quibus suprā dēmōnstrātum est, quae equitēs
3 sustulerant, ex superiōre portū lēnī ventō solvērunt. Quae cum appropin-
4 quārent Britanniae et ex castrīs vidērentur, tanta tempestās subitō coorta
5 est ut nūlla eārum cursum tenēre posset, sed aliae eōdem unde erant pro-
6 fectae referrentur, aliae ad īferiōrem partem īnsulae, quae est propius sōlis
7 occāsum, magnō suī cum perīculō dēicerentur; quae tamen, ancorīs iactīs,
8 cum flūctibus complērentur, necessariō adversā nocte in altum prōvectae
9 continentem petiērunt.

Student Edition, pages 89–91

1 [29] Eādem nocte accidit ut esset lūna plēna, quī diēs maritimōs aestūs
2 maximōs in Ōceanō efficere cōsuēvit, nostrisque id erat incognitum. Ita
3 ūnō tempore et longās nāvēs, quibus Caesar exercitum trānsportandum
4 cūrāverat, quāsque in āridum subdūxerat, aestūs complēverat, et onerāriās,
5 quae ad ancorās erant dēligātae, tempestās adflictābat, neque ūlla nostrīs
6 facultās aut administrandī aut auxiliandī dabātur.

7 Complūribus nāvibus frāctīs, reliquae cum essent fūnibus, ancorīs reliquīs-
8 que armāmentīs āmissīs ad nāvigandum inūtilēs, magna, id quod necesse
9 erat accidere, tōtīus exercitūs perturbātiō facta est. Neque enim nāvēs erant
10 aliae quibus reportārī possent, et omnia dēerant quae ad reficiendās nāvēs
11 erant ūsuī, et, quod omnibus cōstābat hiemāre in Galliā oportēre, frūmen-
12 tum hīs in locīs in hiemem prōvīsum nōn erat.

1 [30] Quibus rēbus cognitīs, prīncipēs Britanniae, quī post proelium ad Cae-
2 sare[m] convēnerant, inter sē collocūtī, cum equitēs et nāvēs et frūmentum
3 Rōmānīs dēesse intellexerent et paucitātem mīlitum ex castrōrum exiguitāte
4 cognōscerent, quae hōc erant etiam angustiōra quod sine impedīmentīs Cae-
5 sar legiōnēs trānsportāverat, optimum factū esse dūxērunt, rebellīōne factā,
6 frūmentō commeātūque nostrōs prohibēre et rem in hiemem prōdūcere,
7 quod eīs superātīs aut reditū interclūsīs nēminem postea bellī inferendī causā
8 in Britanniam trānsitūrum cōnfidēbant. Itaque, rūsus coniūrātiōne factā,
9 paulātim ex castrīs discēdere ac suōs clam ex agrīs dēdūcere coepērunt.

1 [31] At Caesar, etsi nondum eorum consilia cognoverat, tamen et ex eventu
2 navium suarum et ex eo quod obsides dare intermiserant fore id quod ac-
3 cidit suspicabatur. Itaque ad omnes casus subsidia comparabat. Nam et frum-
4 entum ex agris cotidie in castra conferbat et, quae gravissime adflictae
5 erant nave, earum materiam atque aere ad reliquas reficiendas utebatur et quae
6 ad eas res erant usu ex continentibus comportari iubebat. Itaque, cum summo
7 studio a militibus administraretur, XII navibus amissis, reliquis ut navigari
8 commodum posset effecit.

Student Edition, pages 97–99

1 [32] Dum ea geruntur, legiōne ex cōsuētūdine ūnā frūmentātum missā
2 quae appellābātur septima, neque ūllā ad id tempus bellī suspiciōne inter-
3 positā, cum pars hominum in agrīs remanēret, pars etiam in castra venti-
4 tāret, eī quī prō portīs castrōrum in statiōne erant Caesarī nūntiāvērunt pul-
5 verem maiōrem quam cōsuētūdō ferret in eā parte vidērī quam in partem
6 legiō iter fēcisset. Caesar id quod erat suspicātus, aliquid novī ā barbarīs
7 initum cōsiliī, cohortēs quae in statiōnibus erant sēcum in eam partem
8 proficīscī, ex reliquīs duās in statiōnem cohortēs succēdere, reliquās armārī
9 et cōfestim sēsē subsequī iussit. Cum paulō longius ā castrīs prōcessisset,
10 suōs ab hostibus premī atque aegrē sustinēre et cōfertā legiōne ex omnibus
11 partibus tēla coicī animadvertit.

12 Nam quod omnī ex reliquīs partibus dēmessō frūmentō pars ūna erat reli-
13 qua, suspicātī hostēs hūc nostrōs esse ventūrōs noctū in silvīs dēlituerant;
14 tum dispersōs, dēpositīs armīs in metendō occupātōs, subitō adortī, paucīs
15 interfectīs reliquōs incertīs ordinibus perturbāverant, simul equitātū atque
16 essedīs circumdederant.

1 [33] Genus hoc est ex essedīs pugnae. Prīmō per omnēs partēs perequi-
2 tant et tēla coiciunt atque ipsō terrōre equōrum et strepitū rotārum ōrdinēs
3 plērumque perturbant, et, cum sē inter equitum turmās īnsinuāvērunt, ex
4 essedīs dēsiliunt et pedibus proeliantur. Aurīgae interim paulātim ex proe-
5 liō excēdunt atque ita currūs collocant ut, sī illī ā multitūdine hostium pre-
6 mantur, expeditum ad suōs receptum habeant. Ita mōbilitātem equitum, sta-
7 bilitātem peditum in proeliīs praestant, ac tantum ūsū cotīdiānō et exer-
8 citātiōne efficiunt utī in dēclivī ac praecipitī locō incitātōs equōs sustinēre et
9 brevī moderārī ac flectere et per tēmōnem percurrere et in iugō īnsistere et
10 sē inde in currūs citissimē recipere cōnsuerint.

1 [34] Quibus rēbus perturbātis nostrīs novitāte pugnae tempore opportū-
2 nissimō Caesar auxilium tulit: namque eius adventū hostēs cōstitērunt,
3 nostrī sē ex timōre recēpērunt. Quō factō, ad laccessendum et ad commit-
4 tendum proelium aliēnum esse tempus arbitrātus, suō sē locō continuit et,
5 brevī tempore intermissō, in castra legiōnēs redūxit. Dum haec geruntur,
6 nostrīs omnibus occupātis, quī erant in agrīs reliquī discessērunt. Secūtae
7 sunt continuōs complūrēs diēs tempestātēs, quae et nostrōs in castrīs con-
8 tinērent et hostem ā pugnā prohibērent. Interim barbarī nūntiōs in omnēs
9 partēs dīmīsērunt paucitātemque nostrōrum militum suis praedicāvērunt et
10 quanta praedae faciendae atque in perpetuum suī liberandī facultās darētur,
11 sī Rōmānōs castrīs expulissent, dēmōnstrāvērunt. Hīs rēbus celeriter magnā
12 multitūdine peditātūs equitātūsque coāctā ad castra vērunt.

1 [35] Caesar, etsi idem quod superioribus diebus acciderat fore videbat, ut,
2 si essent hostes pulsati, celeritate periculum effugerent, tamen nactus equites
3 circiter xxx, quos Commius Atrebas, de quo ante dictum est, secum trans-
4 portaverat, legiones in acie pro castris constituit. Commissa proelio, diu-
5 tius nostrorum militum impetum hostes ferre non poterunt ac terga ver-
6 terunt. Quos tanto spatio secuti quantum cursu et viribus efficere potu-
7 erunt, complures ex eis occiderunt, deinde omnibus longe lateque aedificiis
8 incensis se in castra recepērunt.

1 [36] Eodem die legati ab hostibus missi ad Caesarem de pace venerunt.